Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 32

, 58.

Cl. Ptolemaei Centiloquium cum coment. Haly, Zael et Meſſahala.

Cod. XXXII.

Chartac. Fol. colum. dupl.

1.
J. 8.

Sec. XV. Scriptus, folia habens 76, quorum cuncta, excepto primo, litera carent initiali. Opus, quod hic continetur, obſcure indicatur ſequentibus in calce libri verbis: "Explicit Centiloquium ptholomei "cum Cōmentario Haly et capitulum de inveſtigatione "gradus aſcendentis nativitatis cum amphoriſmis "/aphoriſmis/ Zael et Meſſahala in judiciis aſtro"rum cum quæſtionibus 12. domorum ipſius haly "Abenragel amen". Hoc igitur Mſc. complectitur Aphoriſmos Haly, Zael et Meſſahalah in librum quadripartitum, ſeu quatuor libros de Apoteleſmatib et judiciis aſtrorum. Item: in librum Karpon græce dictum /: quod vocabulum fructum librorum ſuorum denotat:/ centum aphoriſmis aſtrologicis illuſtratum. Ambo iſta opera paſſim Ptolemæo Claudio adſcribuntur, et ab eo ad Syrum amicum ſuum tranſmiſſa dicuntur. Sed ut Heilbronner Hiſtor. Matheſ. univ. p. 349. lit. CC. ſcribit: "Dechales añotavit, quod non nulli Ptolemæo falſo tribuant Quadripartitæ Conſtructionis libros IV. ſeu de Aſtrologia judiciaria." Idem pag. verſa ſub cit. dd. de altero ſubjungit libro: "Et de hoc non multa addamus, niſi quod nonūlli hunc librum Hermeti adſcribant." Quæ etiam opinio fuiſſe videtur Hieron. Cardani ad lib. III. Ptolemæi de Aſtrorum judiciis textu III. pag. 457. edit Lugdun. 1555. /: edit vero añi 1663. p. 245. col. 2:/ Sic enim ſcribit: "Secunda Concordia eſt a luna; et eſt Hermetis, ut etiam recitat Haly hic in Cōmento". Ex quo patet, quod etiam judicio Haly centiloquium ſit Hermetis, et non Ptolemæi; etſi poſtmodum illud exponendo mutaverit ſententiam. Quamvis autem Cardanus T. 5. opp. ſuorum Centiloquii authorem Hermetem eſſe aſſerat, Ptolemæo tamen attribuit quatuor illos libros, qui de aſtrorum judiciis inſcribuntur. In primo Ptolemæus ponit generalia præcepta Aſtrologiæ, et tanquam principia vendicat; agit etiam de viribus planetarum, eosque dividit in diurnos et nocturnos; diſſerit de aſpectibus, de ſole, de anni temporibus, de ſignis maſculinis et fœmininis, de imperantibus et obedientibus, de domibus, et de cujusque planetæ dignitate, ac eorum finibus. In ſecundo ſingulas gentes ſub ſuis ſignis conſtituit, et de temporum eventibus loquitur. In tertio tractat de ſcientia gradus aſcendentis, de parentibus, de nativitate geminorum, de ſpatio vitæ et de qualitate animæ hominis nati. In quarto demum libro ſermocinatur de proſperitate, conjugiis, filiis, peregrinationibus et ſtellarum fixarum ſignificationibus. Priores duos Ptolemæi libros e græco in latinum tranſtulit idioma Joachimus Camerarius, poſteriores vero duos vertit Georg. Trapezuntius, ſed accuratius et fidelius Eraſmus Oſwald. Schreckkenfuſius. Fabr. Bibl. Græc. L. 4. c. 14. p. 418. Ejusdem Ptolemæi dicitur etiam eſſe opus quod ſub titulo: Fructus librorum ſuorum, notum eſt, Freytag in apparat. Litt. T. 3. p. 727. et quos ibi citat librorum cenſores. Et iſte libellus eorundem librariorum teſtimonio centum dicta comprehendit ad proſatum Syrum, quorum converſio in latinum Pontano Joviano tribuitur in Lexico Joecheri T. 3. p. 1669. et in den Merkwürdigkeiten der königl. Bibl. zu Dresden, T. 3. p. 157. Prædictorum igitur Librorum auctor plurimorum conſenſu eſt Ptolemæus Claudius, natione Aegyptius, patria Peluſienſis, qui /: ut Maginus in coment. et Annotat. Geograph. Ptolem. p. 6. recte obſervat :/ quoque Alexandrinus vocatur, non quod urbs Peluſium parum diſtet ab Alexandria, ut quidam ſcribit /: nempe Cardanus in Proœmio ad 4. citt. Ptolemæi :/ ſiquidem 160 milliaribus abeſt; ſed potius quia in urbe alexandria longo tempore habitavit, ſcilicet 40 annos, ut Heilbroner l. cit. p. 349. opinatur, atque in ea ſuas obſervationes fecit, ſub Marc. Aurel. Anton. Imp. Rom. ſed longe diverſas a ſyſtemate copernicano. Hic, ait de Ptolemæo Boiſſardus Jacobus /: in Parnaſſo cum imaginibus Muſarum :/ primus omnium apud græcos ſolis rationem accuratius diligentiusque explicuit, inſtrumenta quæ ab Hipparcho inventa erant, demonſtravit clarius. Princeps itaque Doctrinæ Mathematicæ jure fuit habitus;

in Aſtrologia enim ſcientia nulli ſecundus erat. Is monumentis ingenü et doctrinæ relictis pene divinus mortuus /a° Chr. 147. juxta Joecher :/ etiamnum inter mortales vivit, æterna gloria laude victurus perpetuo. Qui plura de Ptolemæo isto noſſe cupit, hunc remitto ad Cenſuram Pope Blount de celebr. Auth.

Haly abu Haſen, vel Albohazen, arabs ſec°. III. et filiꝰ Zagelis /: Abenragel :/ celebrem ſe fecit ſua Aſtrologia judiciaria, quam Ant. Stupa in latinum vertit ſermonem.

Zael, aut Zahel, etiam Arabs præcipue iñotuit operibus ſuis de temporum ſignificationibus in judicüs, et de electionibus.

Meſſehalah, vel Meſſalah /Stephanus/ Anglicanus Mathematicus, et Aſtrologus incerti ævi, ſcripſit de compoſitione Aſtrolabii; flores judiciorum ex ſtellis; de revolutione añorum mundi, et de ratione circuli, atque ſtellarum.

In Keppleri Epiſtolis mutuis offendi CXCII=^{dam}, qua a pag. 317. usque 322. Ptolemæi doctrina de directionibus, et ratio conſtitutionis domorum cœleſtium aliter, ac a Cardano, explicatur. Hoc ſatis fuſe noſter P. Anſelm. Wiſgrill.

De his omnibus etiam agit Heilbroner in Hiſt. Matheſ.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 32

Österreichische Akademie der Wissenschaften, Institut für Mittelalterforschung, Abteilung Schrift- und Buchwesen: manuscripta.at - Mittelalterliche Handschriften in österreichischen Bibliotheken
Permalink: manuscripta.at/?ID=1730

Hill Museum & Manuscript Library, Saint John's University, Collegeville MN, USA - Online manuscript description:
OLIVER - Online manuscript description (HMML)